

parere, Aethiopem non esse Candidum, & similia, quæ omnibus sanæ mentis nota sunt, ^{quales e-}
 frustra disceptatur. Plurima tamen, quæ & in se & nobis certissima sunt, tan-^{runt.}
 quam dubia & controversa censentur, quatenus ab aliis in dubium reuocantur.
 Quædia sunt: Mundus non est æternus; Terra est in medio mundi, & est rotunda: Item, tres
 sunt Personæ sacrosanctæ Trinitatis: Christus est Filius Dei æternus Patri σύναρτος καὶ οὐ-
 μοσιος: Christus natus est ex Maria virginie: Christus est redemptor noster secundum v-
 tramque naturam &c. 2. Theses erunt cognitu possibiles. Nam de rebus, quæ omnem
 captum humanum plane transcendunt, nec uspiam in Verbo Diuino nobis reue-
 lata sunt, superuacaneum est differere. Etenim quæ Deus ipse occulta nobis esse
 voluit, qualia innumera sunt, ea stolidi, temerarii & nimis curiosi est hominis an-
 xie velle inquirere. Scrutemur igitur patefacta, discamus necessaria, faciamus
 mandata, lætantes præsenti gratia, & futura gloria. 3. Erunt necessaria, quarum co-
 gnitio grata & utilis ipsis disputantibus, nec auditoribus fastidium aliquod pariat;
 Et caudum sedulo, ne de non necessariis ita disceptemus, ut necessaria negliga-
 mus & ignoremus. Abstinendum quoque à ludicris, friuolis & tenuibus rebus
 quæ neque scienti quicquam prosunt, neque ignorantibus obsunt. 4. Erunt breues &
 succinctæ. In thesibus igitur omnis inanis πολυλογία studiose resecanda erit. Neq;
 hic ut in orationibus fieri solet, amplificatione Oratoria à proposito euagandum
 erit; sed danda est opera, ut intra pomœria suscepitæ dissertationis, stilo & filo ora-
 tionis, quam tenuissimo nos coerccamus & contineamus. 5. Theses disputandæ e-
 runt dilucidae atque perspicuae. Omnis itaque affectata obscuritas cane peius & angue
 in disputationibus declinanda erit. Frustra enim de rebus ad veritatis indagatio-
 nem contenditur, ubi obancipitem atque lubricum verborum sensum legentis
 animus detinetur; imo intricatur atque inuoluitur. Atque hæc de thesium ma-
 teria.

Circa formam disputationis obseruari debet tum *mediatum modus disputandi*.

Media, quibus disputatione omnis peragitur, sunt hæc tria potissimum, videlicet ^{Media di-}
 1. Imploratio auxilii Diuini. Etenim cum sine Diuino numine nihil est in homine,
 scilicet fœlix & auspiciatum: Ideo ipse deuota mente rogandus, ut in tali Collo-
 quio summi Præsidis vicem sustinere, omniaque gubernare velit, quo ipsius glo-
 riæ id seruiat, veritas inquiratur & falsitas profligetur. 2. Ars illa seu Facultas, ad
 quam disputatione pertinet, vel ad minimum, membrum illud, quod ad disputatione
 proponitur, exquisite & gnauiter pensandum, vna cum præcipuorum au-
 torum scriptis, qui suis Commentariis & Scholiis id plenius explicarunt & illu-
 strarunt; & quid contra obiici, quid pro obiectionis solutione faciat, ponderan-
 dum & mature præuidendum. Tela enim præuisa minus feriunt. Quod si Theo-
 logica est disputatione, S. scripture diligenter est euoluenda, & in primis propria ar-
 ticuli illius sedes, & fons, ad quem disputatione pertinet. Verbi gratia: De Sacra-
 mentis disputaturus fundamentū petat, ex verbis institutionis S. Cœnæ, Matt. 25.